



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Quot genera Eunuchorum Christus proponit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

castitate videntur. Matrimonia ineunt, quod castitatis se dono carere asserant. Id experientia discunt, post experientiam dum ambitur sponsa, dum parantur nuptiæ, dum inter dum annus vnus aut alter trahitur, quid agant illi quibus necessarius est concubitus, ipsi videntur, suspicari enim est aliorum. Nec de illis loquitur, aut viris aut feminis, qui *castitatem* per adulterium, ad matrimonium veniunt. Tantum eorum illis argumentum repono, si vultere castitatem, est temerarium, quod incertum sit Dei donum; non possunt qui ita sentiunt inire coniugium, nam eius etiā seruandi donum est incertum. Deinde si vxoris morbo, inobedientia, discessione, aut negotiis impediatur, quo minus remedium concupiscentiæ teneant, cum dono castitatis careant, cum con. inire non possint, nec, vitā tamen coniugio, peccare tamen non debent. Non debent, inquam, frāna carni laxare, & si morbus coniugis sit diuturnus, etiā perpetuus, negotiā & absentia multorum annorum. Non quāro quid agant, sed quid agere illos par sit, qui continentiam sibi sentiunt esse impossibilibē, & remedio concupiscentiæ, quod in matrimonio est carent, quanquam nec hoc nūmūm virgo. Ille dico temerarium, in has difficultates sese conicere, idque pacto, & religioso promisso si temerarium est voto castitatis obstr. ngi. Verum nos Deus docuit, non modo diuinæ gratiæ adiutorio posse, sed etiam facile posse, & magno gaudio, & consolatione spiritali posse seruare castitatem. An illi quibus flagellorum contumeliæ gaudio erant cum molestiā abstinere voluntatibus, qui in tormentis super effluebant lætitiā: Qui vult capere verbum, petat: hoc consilium est Origenis. Et Chrysostomus homil. 63. Augustinus v. ro lib. de continentia in principio, non modo continentiam virginalem, quam maiorem & gloriosorem appellat, sed coniugalem etiam Dei donum nominat. Et quoniam ipsa quoque castitas coniugalis, nisi contineatur ab illicito concubitu non potest custodiri, vtrumque Apostolus donum Dei esse prædicauit, cum de vita vtraque, id est, & coniugali, & ea, quæ est sine coniugio loqueretur, dicens. Vellem omnes homines sic esse, sicut me ipsum, sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic; vtrique ergo vouent, quod à Domino accipiunt, non enim quisquam Domino quicquam re. de vouet, nisi à Domino acciperet.

§. 9. Caluinus S. Hierony. petulanter insectatur in Matrimonia. [Nam quia multis molestiis implicatū est Matrimonium] semper conatus est Satan, odio & infamia grauare, vt homines ab eo subduceret. Et Hieronymus n. mis luculentum, maligni peruersique ingenii specimen in eo edidit, quod non tantum calumnias exagitat sacrum illum, & diuinum vitæ ordinem, sed quasque potest ex profanis autoribus ledorias accumulat, quæ eius honestatem deformant.]

Respondeo. Graue atq; indignum est, virum sanctum, toto orbe notum miraculis in vita, & post mortem clarum, ab apostata sic deformari. Qui si Hieronymum legere voluisset, mendacii sui multa testimonia facile accumulat. Maligni peruersique ingenii specimen dedisset? Aliud nobis omnis antiquitas testatur. Succesit Ariani Calumniatoribus Caluinus, & Ioviniano ipsi, qui ex eo quod Hieronymus virginatē nuptiis præferebat, crimen damnatarum nuptiarum imponebat. Quod Hieronymum matrimonium calumniari ipse fingit, antiqua & vèternosa est calumnia hæreticorum. Ipsi de matrimonio sententia peripicua est. Ipse de custodia Virg. ad Euseb. Epistol. 22. cap. 8. Dicat aliquis: Et aude nuptiis carere, quæ à Deo benedictæ sunt? Non est detrāhere nuptiis, cum illa virginitas antefertur. Nemo malum bono Adami Con. en in Euang. Tom. I.

comparat. Glorietur & nuptiæ, cum à virginibus sint secunda. Et in caput 6. vbi laudat Gregorii expositionem de matrimonio Sacramento magno. Et Epist. ad Galatas 6. contra Tatianum disputat, qui vsum coniugii damnabat. In Epistol. ad Titum. cap. 2. indicat se ab hæreticis reprehendi, quod nuptias esse bonas doceat additque Apostolum, non sanctam coniunctionem, sed passionem, luxuriam & immunditiam reprehendere. Caluino acerbius est Vorstius in Tesseradecade antipist. p. 2. dum parum à blasphemia Hieronymum abesse dicit, quod sacerdotum coniugium opus carnis appelleret: at verissimè ille hoc facit. est enim sacrilegus concubitus, quo votum rite conceptum violatur. Sed S. Hieronymum, orbis Doctorem, defendit eius Apologia ad Pamachium cap. 1. T. 2. & c. 7.

VERSUS 12.

Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus: si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.

QUESTIO I.

Quot genera Eunuchorum Christus proponit?

§. 1. **E** Træxæ Græci ita à bene habendo appellant, est enim quadam libertas à carnis lasciuia, & tyrannide libidinis immunem esse, ac sobriamēte viuere. Est vero hoc nomen generale; Nam genera Eunuchorum qui natura tales sunt, plura sunt. Nam ex vtero matris varias ob causas sterilitas contrahitur. Variis etiam iniuriis virilitas tollitur. Sunt enim Thlatiæ, & Thlibiæ, sunt Castrati, sunt Spadones, de quibus sermo non est nobis. Syrus vocat *mechamene*, hoc est, fideles, Gynæceorum erant namque custodes, quocirca nonnulli *δὸς ὁ γυναικῶν*, quod cubacula teneant dictos putant. Epiphanius hæresi 50. *δὸς ὁ εὐνοῦχος*, quod beneuolus esset, & fidem seruare possit, illis enim credebantur vxores. Assyria olim Regi Persarum quingentos tributū loco offerebat; Quod crudele & infame munus morum corruptione ingentem significabat, apud Romanos infames erant Eunuchi, apud Asiaticos honorati. Plurimi fuerunt, Eutropio Eunuchō Consule, quod tamen pro ostento habuere Quiritis:

*Omnia cesserunt Eunuchō Consule monstrā,
Cuius satellitium fuit,
Infelix ferro truncata iuuentus,
Atq; exēta virum.*

Spadones à Spada Persarum pago vocati aiunt. Epiphanius. quia ille *Valeus* sit, unde originem habuerint, nesciri dicit, nomen Arabicum esse ait, cum Gnosticis non sentire. Vtebantur etiam ad suam vesaniam illis verbis, si scandalizauerit te membrum, &c. Qui Valeus dicebantur, se & hospites castrabant. Quali vero non deferret Dominus libertati hominis id deferat bonum, cum dicit: *Qui potest capere, capiat.* Hoc est, si cui animus est, & seruor deuotionis, ad castitatis brauium contendat. *Seipos*, inquit Augustinus lib. de S. Virgin. cap. 24. *non corpore, sed in ipsa radice concupiscentiæ castrauerunt.* Radix autem voluntas, seu cor ipsū, vt sollicitum sit, quæ Dei sunt, non hominibus, sed Deo placeere velit. Contra eosdem etiam Chrysostomus disputat, & in illa hæresi crudeli diaboli artes ostendit. Hoc enim serpens agebat, vt Manichæorum via recideret.

Hh

Veritatem
membrorum
abscissione.

ret, qui membra illa opus demonis esse mentiebantur, utque lascivia, membrorum necessitate, non voluntatis culpa videretur. Sed præstat audire Chrysostomum. Quando autem dicit, qui se ipsos castrauerunt, non de abscissione membrorum dicit, sed prava cogitationis interemptionem intelligit. Nam qui membrum incidit, maledictioni subiectus est, ut Paulus ait: vinam ascendantur, qui vos conturbant: neque iniuriâ. Nam cum homicida id opus videatur, & Dei creatura aperte detrahatur, Manicheorum ora recludit, & eandem qui hoc agit, iniquitatem committit, quam qui apud gentes mutilantur. Membrorum enim inciso diabolica fraudâ, aut inuentionis opus ab initio fuit, ut operi diuino detraheretur, ut rationale animal laderetur, ut non voluntati, sed membrorum natura, vniuersa re attributa, largas sibi ad peccandum homines, portas referant, tanquam rationem non essent reddituri: ac ita dupliciter laderentur, quia membris suis carerent, tum quia voluntatis ad bona inclinatio reprimetur. Quæ omnia ex lege diabolica sunt, qui ad ea, quæ dicta sunt, via quidam progrediens, perniciosum illud fatalis rerum necessitatis dogma introduxit. Ita vndique datam nobis libertatem diuinitus vitia naturalia esse suadens, euellere conatur, multaque alia. Hinc pestifera dogmata occultius seminat. Talia quippe sunt diaboli perniciose venena: quare oro atque obsecro, fugatis talem iniquitatem. Ad eam enim quæ dicta sunt, accedit, quod nec cupiditatis incendia mitigantur, sed grauiora, inflammatoriaque redduntur. Alij namque sunt fontes spermatis hominum, ac aliunde certè prorumpunt, quidam à cerebro, quidam à lumbis, illum inquietissimum æstrum proficisci contendunt: ego vero non aliunde dixerim, quam à lasciuia mentis & cogitationis neglectu. Quippe modestia mentis facit, ut naturales motus nullum offerant detrimentum.

Non absunt ab eâ blasphemîa, heretici nostri temporis, qui libidinandi eandem necessitatem arbitrantur, quæ est edendi, bibendi, atque illâ naturæ violentiâ, siue adfuit vxori, siue absit excusari libidinem contendunt.

§. 2. Verum hi veteribus quibusdam contrarii sunt, qui castitatem à Deo præceptam esse voluerunt. Vt apud Iren. lib. 1. cap. 30. Epiphanius hæresi 61. August. hæresi 40. Ecclesiâ, mediâ viâ incedit, & veritatem docet, suam esse, non iussam castitatem, honorabile coniugium, venabiliorem coniugio Virginitatem. Virgines Christo tribuunt, quod non exiguntur, offerunt quod non coguntur, si imperata esset Virginitas, nuptiæ damnarentur, nunc cum illæ honeste sint, Virginitas ultra præcepta se extendit. Non imperio tam celsum propositum secuta, sed voluntate.

Salutaria
hereticorum.

§. 3. Augustinus Marlorat. Erasmus citat dicentem: Precibus non posse castitatem impetrari. Quin Pontificios orate, ne cibo vti necesse sit, &c. Verum in notationibus Erasmi huius loci nihil tale est; & ratio ipsa pueriliter lasciuia est. Ne cibo vti necesse sit, nonnulli impetrant, interim quisque auctor ille sit, cui Calvinista tam fœdum elogium ascribit; nos eum veneratorum nepotem esse necessario indicare debemus, ut qui non magis voluptatis illecebris, quam cibo carere possit. Nec abnotare magis, quam abesse mensâ. Quid ille talis cum abest vxor, agat, opus est conicere, cum ille quid sibi necessariū agendum putet, iam profiteatur. Origenes in cap. 2. ad Roman. Hæreticos nostris non dissimiles refutat. Quorum, lector, hæreses tales erant, ut recensere sit pudori.

Spurci omnino homines, ex Hermete lib. 9. & Platone disputantes. lib. 6. de legibus. Qui veterum hæreticorum, ut Nicolaitarum dogma erat vitam æternâ minimè posse adipisci eos, qui non omnimodo soluerentur in Venerem. Sic Lutherus contra Ambr. Catharin. & in c. 9. Corinth. Nemo hominum ad continentiam creatus est, sed omnes vni ad generandam sobolem conditi sunt. & de vita coniugali. Similia Calviniani, Pelicani Bucerius, ipse Zwinglius; Qui & rebus &

rebus & luxuria pudicitiam oppugnant; Hoc agendo, ne quisquam castus esset, ne libidines eorum, aliena pudicitia argueret.

§. 4. Ratione caret, quod Caluinus adfert distinctionem Eunuchorum, eo pertinere, ut sciant omnes sibi præceptum coniugium, nisi quibus aliud renouauit. Verissimè Hieronymus aduersus Iovin. Caluini parentem. Ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Nec enim paruuli, qui apud eos vxore carent reuelationem iactare audent. Et Chrysostom. è contratio docet; mentem Christi esse ut probet, non esse impossibile Virginitatem; Vt enim alij naturâ, alij iniuriâ, alij alia necessitate facti sunt Eunuchi, sic nonnulli etiam propter regnum cœlorum. August. lib. de Virginitate. cap. 24. Non necessitatem sed voluntatem docet hoc Eunuchos facere. Verba Chrysostomi opponam doctrinæ Caluini. Itaque extulit, præcipuumque ostendit, & narratione attraxit, atque hortatus est. Sed perpendi repugnantiam magnam: ipse arduum id esse confirmat, vero paruum ac facile, vtrumque certe commode factum. Nam cum ab ipso magnum esse confirmetur, instructiores paratiusque sunt, qui hoc desiderant. Cumque à verbis ipsorum facilius esse videatur, hac ratione ad eligendam continentiam atque virginitatem priores redduntur. Nam quibus ad perpetuam hortari virginitatem arduum atque durum videtur, necessitate legi in cupiditatem virginitatis impellit. Possent nos perpetuam seruare continentiam ostendit dicens: sunt Eunuchi qui ex ventre matris ita nati sunt; & sunt eunuchi qui facti sunt eunuchi ab hominibus; & sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. His omnibus oculte, ad optandam eligendamque virginitatem inducit: possibile namque id esse hominibus, hoc fere modo confirmat. Cogita tecum, si aut à natura eunuchus esses, aut iniuriâ hominum sic effectus: quid faceres, cum & huiusmodi voluntati careres, & nullam carento mercedem consequeretur? Gratia igitur Deo agas, quia magna præmia tui lantæque coronæ habebis, si ita viues quemadmodum sine aliquo illi præmio: imo vero multo facilius, tutius, atque iucundius, tum quia prætributionis corroboraris, tum quia conscientia virtutis gaudes, & ad hac non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris. Non enim sic amputatio membri, quemadmodum ratio frangit, imo vero sola ratio huiusmodi fluctus comprimit, & in tranquillitatis portum animum reducit: idcirco igitur ille recensuit, ut hos vehementius exhortaretur, nisi enim contenderet, ad quid aliorum fecisset eunuchorum mentionem? Chrysostomus ergo non modo castitatem docet esse possibilem, & Christum ad eam hortari nos, verum etiam mercedem habere & præmium, adeoque meritorem esse. Et paulò post: Vt singulare id esse certamen perdisceas, non ut sorte datam necessitatem suspicias. His enim datum est qui sponte id eligunt: quod ideo dixit, ut ostenderet, superiore nobis auxilio esse opus (quod quidem omnibus illud expectantibus paratum est) si volumus in hac latione superiores euadere, solitus quippe est, quandoque res ardua proponitur, hoc vti modo dicendi: Vt etiam quando dicebat: Vobis est datum nosse mysteria regni cœlorum, quod maxime ita esse presenti loco approbant. Nam si superne solamodo donationis iussu est, ac nihil penitus, qui se in perpetua virginitate conseruant conferre videntur, super se ipsos regnum cœlorum pollicetur, nec merito à ceteris ipsos eunuchis distinguit.

§. 5. Etiam voto virginitatem illam sanctam tulle, docet Cyprianus, Epist. 62. ad Pomponiam, ubi docet virgines corruptas, non mariti, sed Christi adulteras esse; iubetque, ut qui se propter regnum Dei castrauerunt, Deo per omnia placeant. Et l. de discipl. & habitu virg. Neque enim inani hac cautio est, & vana formido, quæ ad salutis viam consilium, quæ dominica & rationalia præcepta custodit, ut quæ se Christo dicauerint, & carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mercede se Deo vouerint, consumment opus suum magno præmio.

admiratum; nec ornari iam aut placere cuiquam nisi Domino
suis iudicant, à quo & mercedem virginittatis expectant dicen-
te ipso. Non omnes capiunt hoc verbum, sed illi qui
bus datam est: sunt enim Spadones, qui ex vtero ma-
tris sic nati sunt, & sunt Spadones, qui coacti sunt ab
hominibus, & sunt Spadones, qui se ipsos castrave-
runt propter regnum cœlorum. Et deinde. Sic se ex-
pugnator inimicus per artes suas inserit: Sic insidiæ per occultam
salutem diaboli obrepit: sic dum ornari cultius, dum libe-
ras emagari virgines volunt, esse virgines desinunt, furtiuo de-
dunt corruptæ, vidue antequam nuptæ, non mariti sed Christi
adultera, quam fuerant praviu ingentibus virgines destinate,
tam magna supplicia pro amissa virginittate sensura. In eun-
dem sensum Chrysostomus Epistol. ad Theodorum
Monachum. & homil. 13. in Epistol. ad Hebræos.

§. 6. Castrare se, est vitam castam vivere, & conti-
nere. Vide Bellarm. lib. 2. de Monachis. cap. 21. id-
que sponte & propter regnum cœlorum. Caluinus
quibusdam falso ait à Deo datam immunitatem à
conjugio, licet naturæ sint apti ad coniugium. Non enim
dicit Dominus, quibusdam hanc Deum immuni-
tatem dedit, sed quæ ipsos castraverunt, hoc est, qui ca-
puditeram cœlestium inflammari, coniugio absti-
nent, quibus datum est, vt castitatis precium intellige-
rent, & voluptatibus abstinerent. Præclare in hanc
sententiam Chrysostomus Homil. 63. tis datum est, qui
sponte id eligunt: quod ideo dixit Christus, vt ostende-
ret auxilio nobis superno opus esse quod quidem om-
nibus paratum est, si volumus in hac vita euadere
superiores. Si igitur vult, potest. Isidorus de summo
bono. cap. 40. à Deo datum continentia, sed petite, in-
quit, & accipietis. Tunc autem tribuitur, quando Deus
genitui interno pulsatur. Vnde & Hieronymus in cap. 5.
Istæ & Augustinus de Virg. cap. 24. Ambrosius exhor-
tat. ad Virgines. Basil. de Virginit. Theodot. in Epir.
cap. de Virginit. Damasc. lib. 4. fidei. cap. 25. Greg. Pa-
storal. p. 3. c. 19. errant igitur Sectarii expositores do-
nom hoc negantes.

§. 7. Regnum cœlorum Caluinus Euangelium inter-
pretatur. Verum hoc loco æternam beatitudinem
significat. Multo enim maxima pars eorum qui castè
vixerunt, Euangelii prædicatione occupari non fue-
runt. Sunt enim in Ecclesia Virgines cœtus, & mul-
ta millia Eremitarum, qui sibi & Deo viuunt. Zwin-
glius de prædicationibus, præsertim Apostolis intelli-
git, falsam iam ostendi. Quod si Euangelii causa om-
mittende sunt sæpe nuptiæ, non mirum quidem est,
sed mirum tamen videri debet Euangelicis, ministris
suis Euangelii causa vitam cœlibem non vivere, sed
prædicationis initio, nuptias mox coniungere. Quali-
dum sit, ite, prædicare Euangelium, vxores ducere.
Cœlibatam itaque virtutem negant; stulta igitur ait
imaginatio est, cœlibatam esse virtutem, quia non
magis, quam ieiunium per se Deo placet, nec inter
obsequia, quæ à nobis requirit, censeri meretur. In
summa docet Christus non satis esse, si castè vivant
cœlibes, nisi consulto ab vxoribus abstineant, quo
se expediant ad meliora officia. Non est quidem sa-
tis castè vivere, nisi deuote iusteque viuas, castè tamen
vivere in cœlibatu opus est virtutis, nempe casti-
tatis, castitas autem species est temperantiæ, quæ vir-
tutis est. Si virtus, igitur & cultus Deo gra-
tus.

§. 8. Quod vero negant cœlibatam matrimonio
digniora, id commune cum Ioviniano aliisque ha-
bent. Aliud Paulus 1. Corinth. 9. aliud S. Patres do-
cuerunt. Chrysostomus de Virginit. cap. 10. Virginitas
matrimonio melior est, & si placet, quanto etiam melior sit ad-
dem. Quanto cœlibatam, quanto hominibus Angeli. Cy-
rilus Catechesi 4. Hieronymus Apolog. ad Pam. in-
ter matrimonium & virginittatem comparisonem
Adami Conzen in Euang. Tom. I.

facit, quæ est auri ad argentum. Virginittatem auro,
matrimonium argento simile facit, & patet ex Augus-
tino citato.

Augustinus libro de sancta virginittate. cap. 24. illos
qui se ipsos castraverunt, multis modis aliis præfert
Christianis. Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Chri-
stus dicit, veritas dicit, virtus & sapientia Dei dicit, eos, qui pio
propósito ab vxore ducenda se continuerint, castrare se ipsos pro-
pter regnum cœlorum: & contra humana vanitas impiæ te-
meritate contendit, eos qui hoc faciunt præsentem tantummo-
do necessitatem molestiarum coniugalium deuitare in regno
cœlorum amplius quicquam cetera non habere.

Quin idem etiam Eunuchorum meritum agnoscit
eodem libro. Nam cum dicit, dabo eis locum multo melio-
rem, ostendit, & coniugatis dari, sed multo inferiorem. Vt er-
go concedamus in domo Dei prædictos futuros Eunuchos secun-
dum carnem, qui in populo Israel non fuerunt: quia & ipsos
videmus, cum Iudei non sint, tamen fieri Christianos: nec
de illis dixisse prophetam, qui propósito continentie coniugia
non querentes, se ipsos castrant propter regnum cœlorum: ita-
ne tanta dementia quisquam contrarius est, vt in carne factos
Eunuchos meliorem, quam coniugatos locum in domo Dei ha-
bere credat, & pio propósito continentes, corpus usque ad con-
temptas nuptias castigantes se ipsos non in corpore, sed in ipsa
concupiscentia radice castrantes, cœlestem & Angelicam vitam
in terrenâ mortalitate modantes coniugatorum meritis pares
esse contendat, & Christo laudanti eos qui se ipsos castraverunt,
non propter hoc seculum sed propter regnum cœlorum, Chri-
stianus contra dicat, affirmans hoc præsentem vitam esse vilem, non
futuram? Quid aliud istis restat, nisi vt ipsum regnum cœlorum,
ad hanc temporalem vitam, in qua nunc sumus, assentiant perti-
nere? Cur enim non & in hanc insaniam progrediatur cæca
presumptio? Et quid hac assertionis furiosius? Nam & si re-
gnum cœlorum aliquando Ecclesia etiam, quæ hoc tempore est,
appellatur ad hoc vtique sic appellatur, quia futura vite sempit-
ernæque colligitur. Quamuis ergo promissionem habeat vite
præsentis & futura, in omnibus tamen bonis operibus suis, non
respicit quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim viden-
tur temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna.

Si igitur tanti interpretis iudicio standum est, non
modo falsos nostros hæreticos esse dicendum est, sed
etiam contentiosos, insanos, presumptuos, furiosos,
impudentissimè, & dementissimè pertinaces, impiè
cœcos, quæ in eos magno castitatis ardore ille dicit,
qui cœlibum meritis, coniugum merita exæquant.
Gregorius Nyssenus de Virginit. cap. 1. Amphylochius
de purificatione Deiparæ. Hi iudices Ecclesiæ præfæ
fuerunt, de quibus Minutius Felix. Plerique nostrum
inuolati corpora perpetuâ virginittate fruuntur potius, quam
gloriantur. Interim tamen nuptias etiam laudabant,
vt Zeno Veronensis: non nuptias condemno sed nuptias me-
liora propono. Simili sententiâ Syricius ad Ecclesiam
Mediolanensem. Gregorius Nazianzenus oratione in
hæc Christi verba tria genera spiritualium Eunuchorum
constituit mysticè locum interpretatus, & con-
cludit volentibus esse datum, velle autem & eligere
dignum esse beneficium, quæ omnia etiam in alios
virtutum actus conueniunt. Abdias etiam scribit. I-
phigeniam à S. Matthæo consecratam, votiua Virgi-
nitate insignem. Augustinus lib. 1. ad Pallentium, a-
liisque locis innumeris testatur, Virgines in Ecclesia
votiua castitate vixisse. Concilium Carthaginense 4.
Can. ultimo. Basilii de verâ virginittate. Ambrosii ad
Susannam lapsam. cap. 5. Epiphani. hæresi. 48. gloria-
tur de hoc Ecclesiæ ornamento. Iustin. Apol. 2. ad An-
toninum Pium. Multi sunt apud vos viri & quæ Sexus, se-
xaginta & septuaginta nati annos, apud nos qui æpueræ sunt
disciplinam Christi assueti, incorrupti & cœlibes perdurant;
& gloriatur, ne per omne genus hominum nostrorum talis mon-
strare possit. Eodem modo Athenagoras orat. 2. pro
Christianis. Hieronymus contra Iovinian. lib. 1. ad
Eustochium.

